

401

399

405

395

410

390

450

350

300

Ende

Anfang

386

canit ex ore Christi: In die resurrectionis meae, praecedamus in Galilaeam etc. Notum est autem, quod post resurrectionem Domini evolutis multis diebus descenderunt in Galilaeam provinciam, et non in die resurrectionis. De Galilaea vero provincia loquitur Evangelista Matth. 28. ubi dicit: undecim discipuli abierunt in Galilaeam (provinciam), ubi et in monte et ad mare Tiberiadis eis apparuit. Si quis ergo Scripturam intelligit de utraque Galilaea, nulla difficultas est. Si autem solum de provincia Galilaeae, magnam difficultatem habet. Item glossatores et postillatores, et Augustinus de concordantia Evangelistarum multum laboraverunt in expositione textuum, loquentium de apparitionibus in Galilaea promissi fieri, quia solum intelligunt dictum de provincia, et non de villa. Nec aliquem inveni doctorem antiquum, qui textus illos aliter intelligeret, quam de Galilaea provincia, quia apparitio ibi facta fuit generalis, et erant ibi in monte, Thabor scilicet, plus quam quingenti fratres, ut dicitur 1. Cor. XV. Ideo prae ceteris apparitionibus factis singulariter mentio fit de ibi facta, in Galilaea provincia. Dicitur tamen, quod Eusebius dicit in Historia Ecclesiastica, loquitur de villa Galilaea. Quod tamen me non memini legisse. Ludolphus etiam de vita Christi intelligit, alias apparitiones factas in Galilaea villa, quae est in Iudea, alias vero in Galilaea provincia. In loco ergo illo, ubi dicunt XI apparuisse, adoravimus, et indulgentias receperimus (††). Sunt enim ad locum hunc indulgentiae maxima positae. Omnes enim indulgentiae, quae in his sanctis locis sunt, ad quae Sarraceni peregrinos accedere non sinunt, sunt huc ad locum illum positae. Plura sunt enim loca valde sancta in Jerusalem, ubi est indulgentia plenaria, ad quae non admittuntur, ut est: templum Domini, porticus Salomonis, aurea porta, praetorium Pilati, domus Herodis, domus S. Annae, quae est nativitatis beatae Virginis. Horum locorum indulgentias hic accepimus. Acceptis igitur indulgentiis ascendimus super acervos lapidum, et longe lateque per terram aspeximus. Contra orientem vidimus ultra Jordanem et mare mortuum montes Arabiae, terras Moab et Ammon, montes Galaath, et caetera. Contra aquilonem vidi mus montes provinciae Galilaeae, montes Gilboae, et Libanon.

